DE

LIENTERIA.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XX. MENS. JUNII A. MDCCCXXXVII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

SALOMON HERMANNUS GANS

GOTHENBURGO-SUECUS.

OPPONENTIBUS:

L. HOLLSTEIN, MED. ET CHIR. DR. PRACT.

L. MOLLHEIM, MED. ET CHIR. DR.

J. LILJE, PHILOSOPH. CAND.

BEROLINI,

TYPIS FRIEDLAENDERIANIS.

NEC NON

VIRO

DOCTISSIMO, EXPERIENTISSIMO,

N. MÅRTENSSON,

MEDIC. DR. ET CHIRURG. MAGIST.
MEDICO PRACTICO AC PHYSICO GOTHENBURGENSI.

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

DE LIENTERIA.

Literatura.

Lienteria jam antiquissimis medicis scriptoribus non ignota erat. Ita jam divus pater medicinae, Hippocrates, in scriptis nobis traditis multa hoc de morbo effatus est, quae hodie etiam post tantam diversarum theoriarum vicissitudinem inter omnes inoffensa, vera et ut ita dicam sancta quasi constant. Et apud reliquos antiquitatis auctores medicos notae de hoc morbo non desiderantur nec tacent eam praestantiores medii aevi nec recentiorum temporum nosographi. Attamen perpaucae tantum de lienteria existunt observationes, et quidem multo parciores quam de quocumque alio morbo, ita ut lienteriam inter morbos perraros fuisse, conjiciendum sit. Quapropter et nonnulli recentioris temporis de re medica scriptores illam non ut proprium et peculiarem morbum agnoscunt, sed potius ut quandam diarrhoeae varietatem obiter tantum describunt. Ita in egregio et insigni opere, de organorum abdominalium malis ab Abercrombie Anglo scripto, lienteria ne nomine quidem commemoratur; symptomatum tantum ejus essentialium, partim in describenda dyspepsia, partim in variis tunicae intestinorum mucosae alienationibus tractandis, mentio fit.

Praeter generalia enchiridia pathologica, in quibus lienteria memoratur, de hoc morbo hae existunt monographiae:

Eglinger Dissert. d. lienteria et fluxu coeliaeo Basil. 1667.

d. Berger diss. d. lienteria Witeb. 1699.

Siebenkees diss. d. lienteria et fluxu coeliaco Leid. 1705.

Coschwitz diss. d. lienteria Hal. 1727.

d. Buecher. resp. Lieberoth. diss casum de lienteria in puero observata et curata sistens Hal. 1750.

Morbi deterioris notae Gallor castra trans Rhenum sita ab anno 1757 ad 1762 infestantes auctor. I. A. Lorenz. Sclestadii 1765.

R. A. Vogel diss. de lienteria Götting 1770.

Rensing. diss. le lienteria Götting 1786.

Fick diss. de lienter. Jena 1794.

Friedreich. jr. Die Lienterie. Ein Programm. Würzburg 1834.

Definitio.

Lienteria, (laevitas intestinorum, diarrhoca dyspeptica, diarrhoea indigestorum, Lienterie Gall. looseness of the belly. Angl. Magenruhr. Germ.) ille est morbus, in quo omnia quae assumuntur alimenta cruda et indigesta per alvum rursus dejiciuntur.

Symptomata et decursus.

Plerisque in casibus prodromi observabantur et quidem tales, qui ciborum concoctionem perturbatam esse significant, ut vomituritiones, nausea, dyspepsia, interdum etiam fames canina. Excretiones alvi incipiente morbo frequentiores tantum et celeriores fiunt, quam naturae lege fieri deberet; crescente autem morbo et alvi frequentia crescit excretionumque natura morbum jam perfectum significat. Sunt quidem liquidae, neque olentes nec depravatae, raro muco vel sanguine immixtae; alimenta autem, et epulae et potiones, plane non mutata vel putrefacta sed cruda et inconfecta in iis continentur. Hoc enim essentiale et significans morbi symtoma est, quod omnia, quae assumuntur, sint cibi sint potus, tanta, ut non concoqui vel eligi possint, velocitate per alvum rejiciuntur; medicamina quoque, ut pulveres sistentes adeoque medicamina adstringen-ia brevi tempore postquam assumta erant, immutata

ano dejecta esse multi medicorum observaverunt. Velocitatis qua excernuntur alimenta mirabilia quasi attulere scriptores exempla. Ita S. G. Vogel[1]) de puero narravit, cui breviter postquam alimenta quaedam ceperat haec eunti jam vel currenti ex alvo fluxerunt. Pechlinus[2]) in infante duorum annorum, febre colliquativa et diarrhoea continua debilitato, non tantum liquida, sed etiam sicca adeoque pulveres sistentes intra quadrantem vel dimidiam horae partem secedere vidit absque ulla mutationis nota. Idem sexagenarii mentionem facit, in quo tam frequentem et velocem alvum observavit, ut veluti sagitta missa excrementa ante secederent, quam eorum aliqnid fundum ventriculi attigisse conjiceretur. Varia molimina excretiones lientericas antecedere solent, interdum autem plane absunt ut oppressio et tumor regionis epigastricae, ventris frigidi et vacui sensatio, borborygmi, flatus, ructus, nausea, sitis permagna, interdum vomitus; multo rariora signa sunt tormina ventris spastica et tenesmus. Hoc enim symptoma quoque lienteriae affertur, quod dolores plane non sentiuntur, nisi cum aliis malis lienteria complicata reperiatur. Lientericarum excretionum indoles per chemicam analysin nondum investigata est, quapropter dijudicari non potest, num huic sententiae, qua Ill. Schönlein[3]), in excrementis lientericis tunicae intestinorum mucosae secretionem simili modo ac diabeticorum urina mutatam reperiri opinatur, veri aliquid insit.

1) Handbuch der praktischen Arzneiwissenscaft. Stendal 1816. Theil VI. pag. 75.

2) Observat. physic. medic. Lib. I. cap. LIII.

3) Allgemeine u. specielle Pathologie u. Therapie. — Band III. pag. 1832.

Morbo ulterius progrediente, excretiones quae principio neque olentes, nec decoloratae aliove modo mutatae sunt, sensim sensimque depravantnr, decolores, male olentes, muco, felle, saepe etiam sanguine immixtae reperiuntur, semper autem in his alimenta, breviter antea assumta, cruda indigestaque continentur. Alia, quae a scriptoribus afferuntur lienteriae symptomata, non tam, quam illud ex ipsa excrementorum frequentia et cruditate quaesitum, essentialia sunt et magis minusve vel a variis causis, a quibus profecta est lienteria, vel ab effectu dependet, quem singularis illa assimllationis perturbatio in totum organismum producit. Multis in casibus fames canina, quae saepe ut imminentis morbi prodromus observabatur, ipsam lienteriam comitabatur, numquam autem, quo plurimi auctores consentiunt, hoc symptoma diuturnum vel continens fuit; potius anorexia horrorque ciborum in lienteriae decursu praevalere dicuntur; nonnulli imprimis idiosyncrasiam contra cibos lacteos et contra juscula observasse affirmant.

Si consideramus, qualis momenti sit in corpore humano ciborum coctio ac chymificatio, tum e re ipsa elucet, talem harum functionum alienationem, qualis in lienteria reperitur, in reliquas organismi functiones obnoxie valere necesse esse. Sin jam levior aevi affectio hominis animum perturbare solet, non est cur miremur, quod lientericus vulgo hypochondricus fit et agrypnia, morositate, animi anxietate summo gradu laborat. Accedunt varia symptomata consensualia, ut uberior salivae affluxus, nausea, vomituritiones sitis continue aucta, spasmi et dolores abdominis adeoque vesicae, uecnon excretiones urinae dolorificae, urentes,

saepe impeditae; ipsa urina turbida atque in superficie cuticula adiposa obtecta. — Et intestinum rectum per continuum alimenta excernendi conamen sensim sensimque afficitur ideoque non raro evenit, ut molimina haemorrhoidalia, haemorrhoides coecae, saepe vel prolapsus recti ad reliqua mala accedant. Graviores etiam sunt lienteriae continentis in totius corporis nutritionem sequelae obnoxiae. Macies enim totalis, collapsus virium musculorumque debilitas semper evenire solent et cum illis omnia mala, ex partium organicarum relaxatione et dissolutione proficiscentia, sese conjungunt ut cutis frigida et sicca, tympanitis secundaria, anasarca aliaeque hydropicae affectiones interdum etiam icterus, porro diarrhoea foetida, cruenta, dysenterica quasi cum torminibus ventris ac tenesmo, sudores frigidi debilitantes, febris denique lenta. Et aphthae in tunica oris mucosa, sicuti miliaria in cute externa in posteriori morbi stadio observata esse dicuntur. Febris per lienteriae decursum intrare non solet, sub finem morbi autem febris hectica totali corporis dissolutioni vulgo praecedit.

Quod ad temporis spatium per quod lienteria absolvi solet, hoc non semper et omnibus in casibus idem est. Quamquam lienteriam inter morbos chronicos jure putare licet, hanc tamen interdum decursu acuto rapidoque brevissimo tempore aut remediis aptis coërcitam fuisse aut aegrotum consumsisse, exempla non plane carent. Multo saepius quidem menses et adeo annos perdurare solet, in quo decursu remissiones vel breviores facit, vel longiores. Ita S. G. Vogel*) memorat, aegrotum quendam per tres annos lienteria la-

*) L. c.

borasse, hanc quidem saepe per hebdomadas et menses remississe, facile autem imprimis post refrigerationem aliquam, vel post diaetae vitia vel per aliquem animi affectum recidisse. — Intermittentem lienteriam et quidem sub typo tertiano J. P. Frank[4]) in viro octogenario observavit illamque usu chinae et Opii curavit.

Varietates.

Plerique qui hoc de morbo scripserunt auctores differentiam inter lienteriam ideopathicam et symptomaticam statuerunt et priorem quidem a statu quodam pathologico apparatus digestivi ideopathico, alteram vero a variis aliis malis et cachexiis proficisci dixerunt. Symptomaticam vulgarem, ideopathicum rariorem lienteriae speciem esse, nonnulli scriptorum, ut Monfalcon,[5]) Haase,[6]) contenderunt. Mala, in quibus symptomatica observata esse dicitur lienteria, haec sunt: Ascites, scorbutus, febres putridae, exanthemata acuta (quae tum et internam intestinorum tunicam affecisse videntur), hypochondria, infarctus diversaeque alterationes pathologicae in organis abdominalibus latentes ut aphthae, indurationes, scirrhositates, ulcerationes aliaeque. In lienteria ideopathica alimenta paullo diutius in intestinis morari ideoque non tam atque in symptomatica, ubi celerius ejiciuntur, inconfecta et indigesta excerni dicuntur.

---

4) De curand. homin. morb. epitom. Lib. V. P. II. p. 462.

5) Dictionaire des sciences medicales — Artic, Lienterie.

6) Ueber die Erkenntniss u. Kur d. chronischen Krankheiheiten d. menschlichen Organismus. Wien 1830 — Bd III. Erste Abtheil. pag. 292.

Discernitur etiam lienteria in spuriam et veram, et quidem jure, nam cum vera lienteria, quae symptomatibus nuper memoratis significatur, spuriam iillam ne pro morbo quidem habendam confundere non licet, ubi in homine alias sano imprimis autem in infantibus, post immodicum talium rerum, usum, quae difficilius digeruntur, ut legumina, pisa, lentes, passulae, nuces, semina fructuum, membranae, fibraeque tendineae, hae maxima e parte crudae et inconfectae per alvum rursus dejiciuntur. —

Alia adhuc facta est divisio inter lienteriam adultorum et lienteriam in infantibus, in qua excretiones, alimenta male concocta vel lac semi coagulatum continentes albido imprimis colore a ceteris diarhoeae serosae vel mucosae vel cruentae speciebus differunt, quae etiam per sequentem marasmum febremque hecticam saepe funesta evenit.[7])

Commemoratur etiam, imprimis a veterioribus quibusdam medicis Lienteria urinalis, denegata quidem a recentiorum temporum scriptoribus, in qua potiones assumtae sine ulla mutatione urina excerni feruntur.[8]) Non insolitum quidem vel novum, quasdam substantias, ut pigmenta rhei rhabarbari, ligni campechani, principium therebinthinae olens, adeoque, auctore Morechini[9]), acida potionibus assumta brevi tempore post assumtionem in urina sese immutatas praebuisse; hoc autem pro quadam lienteriae, quae non

---

7) Cf. Capuron, traité des maladies des enfans. Paris 1820.

8) Talia exempla collecta inveniuntur in I. G. Knebel, Materialien zur theoretischen und praktischen Heilkunde. Breslau 1800. Bd. 1.

9) Salzburg med. chirurg. Zeit. Jahr 1807. N. 62. p. 192.

solum plane diversis decurrit symptomatibus, sed etiam ex aliis omnino causis originem ducit et multo gravioris ac profundioris in valetudinem est effectus, specie vel varietate haberi posse, nemo affirmabit.

Friedreich[10]) tres lienteriae varietates distinguit. Primam, e quantitativa vel qualitativa succorum ciborum coctioni inservientium alienatione vel inertia ortam, hoc praecipue significari dicit, quod in illa cibi assumti non tam cito, interdum non prius quam secundo die demittantur, et dolores non sentiantur; alteram vero lienteriam spasticam per velocem ciborum dejectionem nec non per varias spasticas affectiones, ut tormina ventris, borborygmos, et caet. sese manifestare; tertiae autem speciei, lienteriae organicae nominatae diagnosin difficiliorem esse; hoc autem imprimis cognosci posse, quod aegrotus in certis quibusdam corporis positionibus, in quibus alimenta diutius in ventriculo morari possent, nullam vel exiguam tantum lientericam sentiat excretionem.

Necroscopia.

Haec nondum multum ad lienteriae naturam melius cognoscendam tribuit. Quae enim in lientericorum cadaveribus reperta sunt, vel non semper in omnibus eadem, vel talia fuere, ut eodem jure continentis lienteriae sequelae, quam ejus causae putari liceant. Nonnulli post illum morbum pylorum abnormiter dilatatum

---

10) Ueber die Lienterie. Ein Programm Würzburg 1834.

relaxatumque observarunt, ita Buyschius[11]) narrat, se olim in cadavere mulieris, lienteria abreptae viscera quidem satis bene constitttuta reperiisse, ventriculi autem pylorum tam relaxatum, ut omnes digitos junctos admitteret. Alii autem, ut exempli gratia Stark[12]) pylorum non solum non relaxatum, sed adeo stricte contractum viderunt. Ulcera ventricula in lienterici cadavere jam vidit Forestus;[13]) sed ab aliis quoque ulcerationes non solum in ventriculo et intestinis. sed etiam in mesenterio ejusque glandulis lymphaticis, sicuti scirrhi ventriculi et indurationes aeque ac stomachi vel intestinorum cum vicinis organis concretiones lienteria praeterita observatae sunt. Ita, ut exemplum quoddam afferam, in cadavere militis diuturna lienteria confecti tandemque demortui, durus et compactus in postica mesenterii parte repertus est abscessus steomatosus, pugni virilis magnitudinem superans vasa majora illius loci circumdans atque induratione reliquarum mesenterii glandularum complicatus[14]) — Secatis talium, qui diu lienteria laboraverant corporibus, interdum et tunicam ventriculi atque intestinorum prorsus absumtam, nec rugas, nec valvulas relictas necroscopia praebuit[15]). Notabilia quaedam exempla, ubi in lientericorum cadaveribus praenaturalis stomachi

---

11) Observat. anatemic. chirurg. LXXIV.

12) Handbuch zur Kenntniss und Heilung innerer Krankh. vorzügl. aus eignen Erfahrungen und Beobachtungen. Jena 1809 Th. II pag 391.

13) Observat. medic. L. XXI. c. 28.

14) cf. Fick de lienteria. pag. 21.

15) cf. Vateri in Ephem. natur. curios. Dec. III. an III. Obs. XVI.

cum colo transverso reperta est communicatio, nobis tradiderunt S. G. Vogel et Friedreich*)

Diagnosis.

Lienteria a ceteris alvi profluviis, quibus cum a scriptoribus in uno ordine collocatur, signis sufficientibus differt. In diarrhoea cibi cocti et humores vel serosi vel mucosi vel biliosi vel cruenti excernuntur, in lientnria autem alimenta, prout deglutita sunt, per alvum vix mutata dejiciuntur. A dysenteria morbus noster eo praecipue distinguitur, quod in illa, malo plerumque acuto, faeces cum torminibus ventris et tenesmo evacuantur, ih hoc autem cibi non concocti absque ullo dolore demittuntur. Eo enim pleraeque observationes conveniunt, lienteriam morbum esse doloris expertem; sin autem nihilominus in historiis lienteria laborantium dolorum mentio fit, hi non tam pro signo pathognomonico, quam potius pro symptomate accidentali, vel ex aliis malis vel ex longa ipsins lienteriae duratione profecto, habendi sunt. — A fluxu sic dicto coeliaco, quem nonnulli medicorum, ut imprimis Fernelius[16]), Riverius[17]) gradu tantum a lienteria differre contenderunt, his tamen bene discernitur momentis. In illo morbo alvus quidem perversa editur, sed mucosa multoque liquidiora, quam in lienteria; in fluxu coeliaco duplex alvinae excretionis est ratio,

---

*) lc. s. cit.

16) Opera. medic.ex edit. Plant. Genev. 1679. fol. pag. 520.

17) Praxis medica. Lugdun Batav. 1660. 8. Pr. Cap. IV.

si quidem altero temporis momento materiae indigestae altero mucus faecesque naturales secedunt; in lienteria modo una, quum quaecunque ingesta sint, paullo post per anum immutata dejiciantur; ita ut in illo malo magis resorptio chymificati, in hoc autem ipsa ciborum chymificatio atque concoctio impedita esse videatur. Nec cum fluxu hepatico lienteria facile cenfundi potest; in illo enim morbo excretiones per alvum absque ullo quidem dolores sensu fiunt, sed rubrae et loturae carnis similes sunt, in hoc autem alimenta vel parum vel nihil mutata excernuntur.

Aetiologia.

Proxima lienteriae causa ejusque vera natura nondum pro certo inter medicos constat et jam ab antiquissimis temporibus diversae hac de re prolatae sunt theoriae.

Nomen laevitas intestinorum, quo usi sunt veteres, jam sententiam significat, quam hoc de morbo habuerint. Pater medicinae, Hippocrates[18]), lienteriam diarrhoea aut dysenteria diuturna praeterita et quidem tum contingere contendit quum e superiore ventre in inferiorem pituita defluxa fuerit, qua de causa ciborum refrigeratorum et humectatorum eorumque non putrefactorum velox per alvum demissio fieri deberet. Quam opinionem de intestinis nimis laevis ac lubricis et Hippocratis discipuli, aeque ac et celeberrimi post eum

---

18) Hippocr. oper. ed. Kühn-Lips. 1826.-L. πέρι πάθων. II. p. 401.

antiquitatis medici ut Galenus Celsus amplexi sunt[19]. Aliam jam de lienteriae natura sententiam protulit Aretaeus[20]) hanc tractus intestinorum debilitatem esse opinans. Huic doctrinae, organorum et virium quae ciborum concoctioni inserviunt, atoniam atque torpiditatem una cum relaxatione pylori morbum illum producere illustrissimi medicorum olim favebant, ut exempli gratia Maximilianus Stoll[21]). — Simili modo fere de lienteria recentioris temporis medicus. Monfaleon[22]) disserit. Duas enim, ait, lienteriae varietates esse distinguendas, quarum altera e vera atonia, saepe morbos chronicos sequenti oriatur, ubi pylorus uon stricte ventriculi aperturam claudat sed apertus hiet, ideoque cibos, priusquam cocti sint, in duodenum demittat; altera vero potius e nimia tractus intestinalis irritabilitate originem ducat, quum vel alimenta tam irritantia sint, vel ipsa intestina subinflammatione affecta, quo in statu nullum contactum admittant ideoque cibos priusquam digeri possint, velociter ejiciant. Paullo accuratius hanc atomiae et torpiditatis theoriam examinantibus haec jam ob solas mechanicas et physicas leges difficillima est intellectu. Quomodo enim fieri potest, ut viribus motoriis in coctione ciborum necessariis debilitatis vel suspensis, alimenta per tantam intestinorum longitudinem et flexum tali velocitate ut in lienteria, ejiciantur! Cibos proprio pondere cadentes, tubum alimentarium relinquere posse,

---

19) M. Gruners Bibliothek der alten Aerzte Leipz. 1782. Th. II.

20) De sign. et caus. diut. morbor. Lib. IV. Cap. X.

21) Praelection. in divers. morb. chronic. Vien 1789. Vol. II.

22) Dictionaire medicale.

minime credibile videtur. Tantum igitur abest, ut laxitas atque atonia fibrarum ventriculi et intestinorum citam illam validamque protrusionem producat in qua nota lienteriae primaria consistit, ut potius contenta ventriculi ob hauc fibrarum motricium inertiam diutius in ipso commorentur eoque omnes has molestias, quibus ciborum retentio sese manifestare solet, excitent. Non magis quae accipiatur digna haec Ruyschii*) aliorumque sententia, necroscopia aliquorum lientericorum nisa mihi videtur, quae in pyloro dilatato atque aperto primariam solamque vidit lienteriae causam. Ut hoc omittam, non semper in lientericis pylorum praenaturaliter patentem obvenire, et praeterea pylori orificium jam teste Morgagni[23]), multo amplius quam soleat, ultra ullam lienteriam interdum reperiri, illa theoria et doctrinis physiologicis plane contrariam sese praebet. Sin etiam verum esset, in ventriculo coctionem ciborum maximae parte perfici et si concederetur, cibos per dilatatum pylorum citius domitti antiquam succo gastrico mutari possent, (quod autem non valde credibile apparet), nec bilis tamen, quae in duodeno cibis admiscitur, nec succus entericus ad alimenta mutanda plane invalidae sunt, ita ut, cur haec omnino cruda ac indigesta ejiciuntur, non bene intelligatur.

Haec eadem ratio et sententiam illorum, qui solam succi gastrici inertiam lienteriae causam esse credunt, refutare valet. — Talem succi gastrici atque enterici inertiam simul autem cum aucta intestinorum

---

*) L. j. e.

23) De causs. et sedibs. morbor. per anatom. detect. Ebrodan. 1799. Tom II. Epist. XXXI.

irritabilitate indeque motu peristaltico aucto R. A. Vogel[24]) atque Burserius[25]) incusaverunt, dum S. G. Vogel, S. P. Frank[26]) plerique recentiorum medicorum hanc solam lienteriae caussam atque naturam esse opinantur, quod irritabilitas ventriculi intestinorumque aucta sit, unde et motus eorum peristalticus augeatur. — Vasa lactea imprimis in morbo nostro affecta credidit Soemmering[27]) et quidem ita ut propter irritabilitatem eorum ex atonia supra naturam auctam, chymum e cibis absorbere nequeant; Nonnulli, ut Schenk[28]) aliique lienteriam semper ulcere quidam intestinali produci censuere. Sed ultra fines hujus dissertatiunculae trnnsirem si diversas omnes scriptorum de obscuro illo morbo enumerare vellem theorias; recentiores quasdam sententias adhnc afferre mihi liceat.

Friedreich triplicem ut jam commemoravi lienteriae originem statuit; hanc enim vel in quantitativa aut qualitativa humorum ciborum coctioni inservientium alienatione, quae partim e locali quodam organorum tales humores secernentium vitio partim generali caehexia oriri possit, petendam esse censet; vel in irritabilitate tubi intestinalis spastice aucta caussam consistere, quae spastica conditio non solum a locali affectione sed etiam ab aucta totius systematis nervosi sensibilitate (ut in hysteria) dependere possit; vel denique lienteriam ex

---

24) Praelect. de cognosc. et curand. corp. human. affect. §. 332.

25) Institut. medic. practic. Vol. IV. pag. 331.

26) L. c. — J. L. c.

27) De morb. vasor. absorbent. Traject ad. Moes 1795

28) Observat. medic. Lib. III.

organicis ventriculi intestinorumque vitiis originem ducere persuasum sibi habet. — Ingeniosam de nostro morbo opinionem protulit Schoenlein, qui lienteriam colliquationibus adnumerat eique analogam quam diabeti mellito tribuit naturam, conjiciens adeo, praenaturalem illam in diabete obvenientem mutationem, qua loco principii maxime azotici, ureae carentis, saccharum in urina praevaleat, in lientericis quoque alvi excretionibus reperiri posse. Negari quidem non potest, in utriusque morbi symptomatibus multa sibi similia reperiri, num autem et pathologica utriusque mali excreta similem illam indolem chemicam praebeant, in suspensu adhuc remanere debet, lientericis excretionibus nondum per experimenta indagatis. — Sunt etiam auctores, qui lienteriam morbum proprium esse negant illamque potius pro gradu majori vel varietate quadam diarrhoeae habendam esse putant. Eiusdem sententiae et Abercrombie mihi esse videtur, qui lienteriae ne nomen quidem affert, quamquam symptoma lientericum, rerum indigestarum, excretionem in describendis variis diarrhoeae speciebus e tunicae intestinorum mucosae mutationibus ortis interdum commemorat. — Tot diversis de lienteria theoriis examinatis, hanc ad morbi naturam proxime accedere mihi persuasum est, quae e perverse aucto intestinorum motu peristaltico causam deducit, quod irritabilitatis incrementum ab aucta nervorum abdominalium inprimis plexuum gangliorum sensibilitate, quae et ideopathica ideoque magis dynamica, et sympathica a variis ipsius tractus intestinalis malis profecta esse potest, dependere credo.

Dispositos igitur ad lienteriam hos imprimis videmus, quorum systema nervorum abdominalium vel diu-

turnis, quibus organa abdominalia laboraverant malis ut colicis, diarrhoeis, dysenteriis debilitatum, vel aliis rebus nocentibus atque deprimentibus perversum est, quarum autem nulla talis momenti est aestimanda, quam excessus in venere, et praecique onania, e quanam causa et diabetes mellitus plerisque in casibus originem ducere solet. Hystericas quoque atque hypochondriacos ad illum morbum prae ceteris propensos esse, multa exempla docuerunt. Itaque et infantes, et senes, in quibus abdomen facilius spasticis malis afficitur, lienteriae jam teste Hippocrate magis obnoxii sunt. Accedit quoque quod lienteria verno et autumnali tempore, ubi diarhoeae ac dysenteriae frequentiores observantur, saepius grassare solet. [29]) Et organica quoque mala, ut absessus, ulcera, in ipso intestinorum tractu vel in vicinis organis latentia ad morbum nostrum disponere posse, multis, lienteria abreptorum per necroscopiam allatis probatur exemplis, et aphtharum ventriculi lienteriam in infante gignentium mentionem facit, v. Rosenstein. [30])

Ad causas magis occasionales numerantur humores acres, acidi, alcalini, vel in ipsis primis viis orti, vel per os in ventriculum delati. Sic immodicus usus cucumerum, melonum aliorumque fructuum et alimentorum, facile corruptionem subeuntium et in acrimoniam degenerantium lienteriam provocasse dicitur. [31]) Similis

---

29) Hippocrat aphorism. III. 22.

30) Anleitung zur Kenntniss und Kur der Kinderkrankheiten. Aus dem Schwed. übers. v. Murray. Götting 1798. pag. 134.

31) F. Autenrieth in Tübingen Blätter für Medizin und Naturkunde, herausg. v. Autenrieth und Bohnenberger. Tübingen 1811. Bd. I. pag. 139.

effectus et medicamentis acribus, praesertim purgantibus drasticis atque emeticis immodice adhibitis tribuitur. — Et transspiratione cutis per refrigerationem suppressa lienteriam ortiri interdum evenit, nec desunt exempla, post exanthemata retropulsa, vel inveterata externae cutis ulcera imprudenter sanata, vel post arthritidem retrogradam morbum nostrum, irritabilitate aucta per antagonismum quasi in organa digestionis translata, provocatum esse. [32])

Lienteria plerumque malum sporadicum est; apud Indos autem etiam epidemice grassatam Bontius [33]) commemorat et alii medici in Hispania in cxerxitu Lusitanorum lienteriam epidemicam observarunt. [34] Sub forma etiam morbi endemici lienteriam contingere posse, nonnulli affirmant. [35]) Talis endemicae lienteriae, in Svevia superiore versus lacum Bodanicum sita, versatae exemplum nobis tradidit Autenrieth. [36])

PROGNOSIS.

Lienteria semper malum magni momenti est, plerumque diuturnum, quod saepe perniciosum ac funestum fit, nonnunquam quidem feliciter tollitur. Dependet autem prognosis et ab aegroti aetate corporisque constitutione et ab ipsius causis, indole atque complicationibus. Quod ad aetatem attinet, et in infantibus et

---

32) cf. Haase. l. c. pag. 297.
33) Medicin. Indor. Lib. III. Cap. XII.
34) cf. Dictionaire de medicine. Articl. Lientérie.
35) cf Weber de caus. et sign, morbor. Cap. 21. pag. 126.
36) cf. Schoenlein l. c.

in senibus malum perniciosius habendum est, quia jam natura organorum digestionis debilis iis proprid est; medii autem aevi aegrotus meliorem prognosin admittit; nec caremus exemplis, aegrotum lienteria captum jam breviori tempore, quam quo morbus ille vulgo determinari soleat, sanatum fuisse. Ut exemplum aliquod afferam, Rosenstein jam inter octo dierum spatium aegrotam aliquam, eandemque gravidam lienteria liberavit. Si ad ipsius morbi indolem respicimus, lienteria ex origine dynamica profecta ideoque spontanea magis sanabalis est quam symptomatica, in qua morbus cum vitiis organicis aliisve malis sese conjungit. Malum etium est jam Hippocrate monente[37]) si frequens est dejectio ac venter omnibus horis noctu et interdiu ffuens somni tempora interpellat, si quod excernitur valde crudum est ac foetidum, si cibi fastidium adest; crescente morbo, et periculum augetur et si jam affectiones hydropicae, corporis macies vel aliae lienteriae continentis sequelae obnoxiae accedant, spes prosperi exitus magis magisque turbatur. Melior autem fit prognosis in lienteria remissiones faciente atque alimenta magis digesta atque mutata excernente. Bonum etiam signum est, momente Hippocrate[38]) in diuturnis intestinorum laevitatibus ructus acidus superveniens, qui prius non adfuit. Hoc enim coctionem digestionemque ciborum in intestinis rursus incipientem indicat.

---

37) Praediction. L. II. scit. II. pag. 105.
38) Aphorism. VI. 1.

Therapia.

Sicuti in omni morbo, ita etiam in lienteria, si fieri potest caussarum incitantium remotioni primum studendum est ideoque diaetae, vitae generis, loci aliarumve rerum ratio habeatur; quam autem indicationem causalem numquam in hoc morbo sufficere posse, facile intelligitur. — Quod ad indicationem morbi attinet, in quoque aegroto semper ad peculiarem morbi naturam atque originem respiciendum est. — Sin ergo signa adsint, conditionem magis subinflammatoriam in tractu intestinorum latere (quod autem rarius evenit) tum suadente Autenrieth[39]) cataplasmata emollientia in abdomen ponantur, atque unguentum hydrarg. cinereum illineatur; interne autem dentur emulsiones. — Saepius autem in curatione lienteriae auctae illius intestinorum irritabilitatis, quae non tam a conditione inflammatoria, quam ab aucta quadam nervorum sensibilitate dependet, hebetendae atque diminuendae ratio habenda est, quam ad finem nullum remedium talis momenti esse quam Opium multi medici experientia edocti contendunt.[40]) Hoc insigne medicamentum principio morbi ut extractum aquosum, postea autem sub forma tincturae, vel simplicis vel compositae, aut pulveris Doweri, interdum etiam substantia pura adhibetur. Optima quae Opio addantur medicamina sunt. Infus. Cinnamom., Calami, nucum moschat., Tinct. Cinnamom., Essent, c. aurant. Elixir visceral. Hoffmann et caet. Praeter Opium et alia narcotica in lienteria laudata

---

39) Tübinger Blätter u. s. w. B. I. Heft 2.
40) cf. Haase libr. cit. pag. 298.

sunt ut Aqua Laurocerasi, extract. Hyoscyami. Belladonna, adeo acidum hydrocyanicum in vehiculis oleoso mucosis. Schlegel[41]) imprimis aquam Laurocerasi recommendat. adhibito simul Empl. e galban. crocat. Camphor. Ol. Menth. Cajeput. in abdomen posito. Cum his medicamentis internis et idonea cura externa conjungatur, ergo neque unguenta e substantiis narcoticis parata et in abdomen illinenda nec clysmata, quibus Opium vel Oleum hyoscyami addatur nec balnea aromatica negligenda sunt.

Simul cum hac methodo sedativa et propter fibrarum intestinorum atoniam et propter secundariam totius corporis debilitatem apte in usum veniat methodus corroborans; ad quem igitur finem principio extracta amara, dein autem potius remedia tonico-amara, ut Columbo, Quassia, Cascarilla, Simaruba adhiberi possunt; a nonnullis, ut a Vogelio[42]) decoctum Augusturae et quidem cum extract. lign. campech. et syrup. opiat. aut. cydonior prae ceteris laudatum est. His autem remediis sine multo emolumento adhibitis ad martialia quoquo transire licet et jungantur quidem cum Opio aliisve narcoticis. — Etiam in hac lienteriae specie, quae infantibus propria observatur medicamina roborantia magni momenti habenda sunt. Infantibus valde debilitatis et collapsis et quod non raro obvenit, statu comatoso jacentibus, analeptica quoque ut Moschus, Camphora. Spirit. anodyn. mineral. Hoffm. aliaque non sine fructu suppeditantur.[43]) Rosenstein in infantum lienteria linimentum quoddam, e Spirit. Juniper ℥ij

---

41) Materialien St. 6. p. 111.
42) S. G. Vogel. l. j. cct.
43) cf. Capuron. l. c.

Ol. destillat, caryophyll., Balsam. nuc. moschat. āā ʒß composit. ut in dorsum manu calida illineatur commendavit. —

Illo tempore, ubi propter praevalentem genii epidemici indolem cura omnium fere morborum, duce Stollio methodo antigastira nitebatur, et ad lienteriam pellendam methodus antigastica prae caeteris efficax censebatur. Ita, ut exemplum afferam, S. G. Vogel incipiente morbo emeticum, dein autem ut medicamen prae ceteris adhibendum, rheum et quidem ut remedium purgans recommendat. Lienteriae autem naturam, quam in aucta tractus intestinorum irritabilitate consistere credo, respicienti, dubitare mihi licet, quin methodus antigastrica tanti ac methodus illa sedativa aut raborans aestimanda sit.

Non autem contemnenda nec negligenda est in lienteriae curatione methodus antagonistica, ab Autenrieth prae ceteris laudata, et quidem vel per diuresin vel per diaphoresin potius perageuda. Remedia diaphoretica, ut Spirit. Mindereri, Liqu. c. c. succ., Pulv. Dower, Camphora aliaque tum imprimis, ubi, quod non raro evenit, lienteria transpiratione cutis suppressa aut arthritide aut exanthematibus retropulsis provocata est, summi momenti in curatione hujus morbi esse debere, facile intelligitur. Saepe una cum illis medicaminibus internis idonea cura externa, vel per balnea, vel per vesicatoria, aut epispastica, vel per Unguent. e Tart. emetic. usum perficienda, adhibeatur necesse est.

Omnia autem remedia pharmaceutica contra lienteriam laudata non sufficerent, nisi etiam recta victus

ratio cum illis conjungeretur. Ideoque cavendum est, ne quid aegrotus sumat, quod morbo ansam praebeat et cibi faciles concoctu uti hordeum, oryza, carnes pullorum, vitulinae aliaeque teneriores in usum veniant; Caveat etiam ab omnibus animi affectibus et nimiis corporis motionibus. Pro potu morbo incipiente mucilaginosa praecipue aegroto prosunt, deinde autem vinum et quidem tale in quo principium adstringens praevalet ut burgundicum, Burdigalicum, parcis portionibus propinari potest. Quod ad vestitum attinet, hic ejusmodi esse debet, ut aegrotum a refrigeratione satis tueatur ideoque corpus cingulo e panno linteo tenuiore facto circumdetur. Et sacculi rebus aromaticis oppleti super nudum ventrem ponendi saepe adhibiti sunt atque ut salutares laudati. — Quibus medicamentis et victus ratione ut decet et satis diu adhibitis lienterici interdum pristinam valetudinem recuperant.

VITAE CURRICULUM.

Ego, *Salomon Hermannus Gans,* veteris testamenti fidei addictus, natus sum Gothenburgi Sueciae urbe, anno hujus saeculi decimo tertio patre *H. S. Gans,* scholae rectore, matre *Paulina* e gente *Meyeriana,* quam autem defunctam jam dudum lugeo. Primis literarum elementis patre duce imbutus, anno meo duodecimo Hamburgum profectus sum ibique Joanneum, quod tum Direct. Ill. *Kraft,* Theol. Dr. florebat per plures annos frequentavi, Dein in gymnasii Hamburgensis academici tabulas relatus, per duo semestria illustrissimos professores publicos, *Hipp. Lehman, Grohman, Petersen, Zimmerman, Ullrich, Mueller* de rebus philologicis, philosophicis et mathematicis nec non de doctrinis sic dictis naturalibus disserentes audivi; simul Cel. *Guenther,* Med. et Chirurg. Dr., anatomes et physiologiae elementa me edocuit. Postea, testimonio maturitatis praeditus, anno MDCCCXXXIII, semestri aestivo, Berolinum me contuli et ab Ill. *Weiss,* t. t.

rectore magnifico, in civium academicorum numerum receptus, per quadriennium hisce interfui lectionibus:

Ill. *Link* de botanice et historia naturali; Ill. *Mitscherlich* de chemia; Ill. *Erman* de physice; Ill. *D'Alton* de anatomia; Ill. *Mueller* de physiologia; Ill. *Osann* de materia medica; Ill. *Hecker* de pathologia et therapia speciali nec non de medicinae historia; Ill. *Rust* de chirurgia speciali; Cel. *Troschel* de aciurgia. Cadavera rite dissecandi artem me docuerunt Ill. *Schlemm* et Ill. *Mueller*. Institutionibus clinicis per plura semestria et auscultans et practicans adfui et quidem medicis Cel. *Barez*, Ill. *Osann*, Cel. *Truestedt*, Cel. *Wolff;* chirurgicis Ill. *de Graefe*, Ill. *Rust;* ophthalmiatr. Ill. *Juengken* et obstetric. Ill *Busch*.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico, quam medico, et examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine rite absolutis, spero fore, ut dissertatione thesibusque defensis summi in medicina et chirurgia in me conferantur honores.

THESES DEFENDENDAE

1) *Ad curationem morborum prognosis majoris momenti est, quam diagnosis.*

2) *Liquor amnii ad foetum nutriendum nil confert.*

3) *Tussi convulsivae indolem inflammatoriam inesse nego.*

4) *In partu ob angustiam pelvis difficili sectio caesarea perforationi infantis praeferenda est.*

5) *Animi indolum varietatem hominibus esse adnatam contendo.*